

vitus de ejusmodi spiritualibus sermonem audiat, haud diu auscultabit, sed brevi discedet, relinquens ei tempus pro suis functionibus ordinarijs constitutum, nec tam facilè revertetur.

## CAPUT XIII.

### *De Meditatione.*

**N**isi quod lex tua meditatio mea est, tunc fortè perissem in humilitate mea, Psal. 118. Significat his verbis Psalmista necessitatem Meditationis five Orationis Mentalis: quæ necessitas quamvis in omnibus DEO fervire volentibus, imprimis tamen in animarum Pastore reperitur

peritur esse maxima, idque primo, quia hic destituitur illo mutuae societatis bono, quo alij in Collegijs & Monasterijs conviventes perfruuntur, dum per pia colloquia & spirituales conferentias se mutuò excitare, & fervorem Spiritûs sui conservare possunt. *Secundo* quia Parochus in quotidianis ferè periculis versatur, & sic etiam quotidie sibi per Meditationem vel sacram lectionem de remedijs prospicere necesse habet.

*Tertiò* quia frigidaè admodum & quasi emortuaè ejus ad populum Conciones existent, nisi meditatio illis animam addat & Spiritum. *Quarto* quia diver-  
sæ

ſæ & neceſſariæ ſæpè rei familia-  
ris diſtractiones paulatim tepo-  
rem inducent, eumque in Spi-  
ritu languere facient, niſi  
ſtabro Meditationis & recolle-  
ctionis quotidie reaccendatur &  
foveatur: Sicut enim carbones  
vivi paulatim ſplendorem ignis  
& calorem amittunt, quando à  
flamma ſeparati ſub liberâ aurâ  
collocantur, niſi continuò venti-  
labro conſerventur, ita quoque  
Parochus licèt in Seminario pie-  
tatis ardore accenſus fuerit &  
flagraverit, ſi tamen à Conferen-  
tijs Spiritualibus remotus, & in  
liberiores auras dimiſſus fue-  
rit, paulatim à fervore Spiritus  
remittet, amiſſoque igneo chari-  
tatis colore nigredinem peccato-

E

rum

rum contrahet, nisi quotidianâ Meditatione quasi flabro quodâ se assiduè excitare & Spiritum suum renovare laboret. Perspexit probè hanc necessitatem Celsissimus ac Reverendissimus Noster, quando in suo Decreto jam sæpius memorato Consiliarijs, Decanis, ac quibuslibet Visitatoribus suæ Diœcesis injunxit, ut Parochi *in visitationibus ac Capitulis ruralibus diligenter examinentur, maximè de functionibus ad se spectantibus, quotidianis Meditationibus, Lectionibus spiritualibus &c.*

Definitur autem Meditatio, quod sit attenta rerum divinarum consideratio, ad excitandos affectus pios erga DEUM, &  
con-

concipienda proposita vitæ Spirituali accommodata. Tres illius sunt partes : prima continet præparationem , & duplex est : una *Remota* , quæ fit pridie seligendo materiam certam , solidam & ex principijs fidei nostræ depromptam, eamque in duo vel tria puncta dividendo , & certum quendam finem sive scopum , qui in meditatione spectandus est , præfigendo. Altera præparatio est *Propinqua* , & consistit partim in oratione sive petitione gratiæ DEI , partim in præludijs , quæ sunt recogitatio præsentia Divinæ , & finis particularis per preces commendatio.

*Secunda* pars Meditationis continet officium & exercitium *intellectûs & voluntatis* : Intellectûs quidem, ut is primò circa materiam Meditationis actum fidei eliciat, qui fundamentum sit & solida basis actuum voluntatis exinde consecutorum. *Secundò* ut ipsam Meditationis materiam non simplici tantùm actu fidei secundùm nudam substantiam percipiat, verùm etiam circumstantias & qualitates ad voluntatem movendam idoneas penetret. *Tertiò* ut ex prævijs fidei actibus deducat conclusiones practicas, quibus determinet quid amandum, timendum, desiderandum, fugiendum &c.

Ex-

Exercitium *voluntatis* est *primò*, ut ex proposita fidei veritate eliciat pios affectus, sive diversarum virtutum actus, & colloquia cum Christo, B. Virgine, Angelo Custode &c. *Secundò*, ut efformet proposita conclusionibus per intellectum ex fide deductis consentanea, statuens qualiter per decursum illius diei juxta dictamen ab intellectu propositum vivere velit, quibus medijs ad superandam passionem, vel virtutem acquirendam uti. Quæ quidem proposita voluntatis esse debent non generalia & abstracta, sed particularizata, & de Vitio in tali occasione, loco, tempore &c. fugiendo; Eò quod proposita solum generalia

ordinariè suo effectu careant, & animum non satis fortiter contra tentationes præmuniant.

*Tertia* pars Meditationis est *Conclusio*, & consistit in tribus. Primum est, ut DEO agantur gratiæ pro luminibus per decursum Meditationis communicatis. Secundum, ut petatur gratia ad proposita fideliter exequenda. Tertium, ut hæc ipsa proposita & affectus contrahantur in brevem aliquam & nervosam sententiam pro juvanda memoria, & fervore ex Meditatione concepto imposterùm conservando: quæ sententia à S. Salesio *fasciculus devotionis*, ab alijs verò *Tessera* nominari solet.

CA-